



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacrae Theologiae Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiae Ad Mentem Scoti Cursus Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

4. De distinctione intellectus agentis & passibilis, & vtrum vterque in
anima separata & Angelis reperiantur.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

causa concurrat necessario ad productionem earum, non tamen est necesse ut illa causa concurrat ad conseruationem; ut patet in calore qui conseruatur in aqua sine igne, quamuis sine igne in illo non producat.

Hoc tamen non obstante, mihi videtur insistendum in principiis positis p. 2. disp. 9. num. 45. & dicendum quod intellectus non possit esse causa totalis conseruationis speciei, quia si esset haberet virtutem adæquatam ipsam efficiendi pro illo instanti quo conseruaretur; sed hoc falsum: ergo.

Probatur minor; quia si posset ipsam totaliter producere pro illo instanti, posset etiam pro primo instanti; & necessario etiam produceret, quia est causa naturalis, quod est absurdum.

Probatur vltima sequela, quia ideo potest & debet in instanti quo conseruatur, intellectus ipsam conseruare, quia in illo instanti habet in actu primo virtutem ex qua pro illo instanti egredi possit ista species: sed eadem ipsa virtus est in omni instanti, in quo est intellectus, & non impeditur pro vltimo instanti magis, quam impeditur pro instanti conseruationis: ergo deberet egredi ab illa ista species pro primo instanti.

Quæ sane ratio mihi probat nullam causam posse conseruare rem per se directè, quæ non possit rem producere, & consequenter quamcumque causam adæquatam conseruationem posse esse productiuam rei conseruationis.

Confirmatur autem vltius: quia conseruatio rei non est nisi continuata productio eius, nec inter actionem qua conseruatur & illam qua producit, est vlla prorsus differentia, si sint duæ actiones, quam quod vna præsupponat alteram, quod conuenit ipsi accidentaliter tantum, sicut conuenit secundo filio præsupponere primum filium: ergo causa illa quæ sufficit ad conseruationem sufficit ad productionem, si æque bene applicetur, non minus quam causa potens producere secundum filium sufficit ad productionem primi filii. Quod si dicatur esse eadem actio, quæ sit conseruatio & productio: ergo quemadmodum poterat egredi pro hoc instanti ab intellectu, poterat etiam pro primo, si tam bene applicabatur pro primo, ac applicatur pro hoc secundo, pro quo habet denotationem conseruationis.

Confirmatur secundo, quia si non posset actio productiua egredi à causa, à qua egredi posset conseruatiua, maxime quia productio adiunget causam ad hoc, ut egredere ab ipsa conseruatio, siue conseruatio dicatur esse actio distincta, siue non, sed hoc est falsum: ergo. Probatur minor, quia pro illo instanti pro quo est conseruatio, non est actio productiua, ut productiua, nec aliqua dispositio ab ipsa relicta, nec aliqua causa per ipsam producta, nec aliquid prorsus ab illa vltimo modo depēdens est in instanti conseruationis ad conseruationem deseruiens, quod non esset etiam si non esset illa actio: ergo illa actio non potest iuuare ad hoc, ut actio quæ est conseruatio, egrediat ab agente; absurdum enim videtur quod illud quod non est, possit iuuare ad producendum aliquid pro instanti, pro quo non est, nisi in illo instanti esset aliquid ratione ipsius, quod non esset alias ad productionem conducent.

Dicitur quod actio illa fuerit, est necessarium ad hoc, ut sit conseruatio formaliter pro instanti conseruationis, quamuis actio illa non sit in illo instanti, nec aliquid quod alias non esset: ergo quod non est, potest deseruire ad aliquid habendum pro instanti, pro quo non est, quamuis nihil sit in illo instanti, quod alias non esset.

Contra, quia licet requiri possit aliquid non existens ad denominationem aliquam desumptam ab ipsius non existentia, in quo non est vlla difficultas; tamen non potest requiri ut aliquid positum, non dicens necessario illam denominationem sit pro illo instanti: sed actio conseruatiua licet dicat formaliter denominationem desumptam ab actione productiua pro instanti præterito, tamen secundum se, quoad esse suum positum non necessario dicit illam denominationem: ergo licet non posset haberi cum illa denominatione absque actione præterita, potest tamen secundum se esse absque illa actione, quod est intentum conclusionis. Itaque existimo species intelligibiles

semel productas conseruari in intellectu à causa aliqua superiori, ut à Deo vel Angelis.

Cætera quæ ad naturam specierum intelligibilium spectant, ex dictis de speciebus sensitiuis facile resolui possunt. Solum hic aduertendum, quod quando dicitur intellectus agens spiritualizare obiectum corporeum reducens in phantasmate, per illud nihil aliud intelligi debet, quam quod producat speciem qua representari possit illud obiectum spiritualiter, per cognitionem scilicet intellectiuam, quæ spiritualis est.

QVÆSTIO IV.

De distinctione intellectus agentis & possibilis, & utrum uterque in anima separata & Angelis reperiantur.

36. **P**atet ex dictis intellectum agentem esse facultatem illam, quæ producit speciem intelligibilem, eamque dari, si dentur tales species, quas propterea dari supponendum est in hac quæstione, quæ alias non posset esse in controuersia. Per intellectum vero possibilem seu patientem intelligitur facultas animæ, qua mediante potest cognoscere per cognitionem spirituales; ad cuius productionem deseruiunt species intelligibiles, quæ producuntur per intellectum agentem. Dicitur autem possibilis seu patients, non quod non agat producendo effectiue cognitionem, tam bene, quam intellectus agens agit producendo speciem intelligibilem; sed quod intelligat formaliter per receptionem cognitionis in se.

CONCLUSIO I.

Intellectus agens & possibilis non distinguuntur realiter. Hæc colligitur ex *Scoto* expresse in 1. disp. 3. quæst. 8. n. 3. ubi de viroque intellectu tanquam de realiter indistinctis agit, & est conformis principiis ipsius in aliis locis passim, ut mirum sit *Complutenses* inferius citandos ipsum citare pro opposito, & quidem in illo ipso loco iam adducto. Eam tenent præterea *Maïor*, *Abulenſis*, *Niphus*, *Suar.* *Conimbricens.* contra *Thomistas* communiter, quos citant & sequuntur *Complutenses*, disp. 20. de intellectu agente, num. 10.

Probatur primo, quia identificantur realiter animæ, ut patet ex dictis supra disp. 1. quæst. 11. ergo & inter se identificantur: quæ enim realiter identificantur vni tertio in creatis, sine dubio realiter identificantur inter se.

Probatur secundo, quia quamuis non identificantur animæ, nulla esset necessitas illos inter se distinguendi realiter; non sunt autem multiplicanda entia sine necessitate: ergo. Maior patet, quia si esset aliqua necessitas, maxime, quia haberent diuersos actus, quandoquidem actus intellectus agentis esset species impressa, & actus intellectus possibilis esset intellectio seu cognitio: sed ad hoc non sunt distinguendi, quia vna & eadē potentia realiter potest habere diuersos actus, & habere diuersas denominationes; vnam quatenus esset principium vnius actus & aliam quatenus esset principium alterius, & hoc maxime verum est quando illi actus haberent subordinationem talem, ut vnus esset requisitus ad alterum, ut contingit in proposito, quia species intelligibilis est necessaria ad producendam cognitionem: propterea enim ponitur.

CONCLUSIO II.

37. *Intellectus agens & possibilis distinguuntur formaliter ex natura rei.* Hæc est communis inter *Scotistas*.

Probatur, quia non implicat dari aliquem intellectum, qui possit cognoscere obiectum, & non possit producere speciem impressam: ergo conceptus intellectus agentis & possibilis, possunt separari ab inuicem non minus quam conceptus animalis & rationalis: sed conceptus sic separabiles distinguuntur formaliter, ut patet ex dicendis in disputatione de distinctione formali: ergo intellectus agens & possibilis, quia tales, distinguuntur formaliter.

Quod si omnis intellectus agens deberet necessario esse possibilis, & e contra, difficulter posset probari distinctio formalis ex natura rei eorum; nam diuersitas actuum vix sufficit; alias posset quis dicere, quod darentur duo intelle

Intellectus agens & possibilis non distinguuntur realiter.

Distinguuntur formaliter.

intellectus possibiles distincti formaliter, unus qui est apprehensiuus obiecti per simplicem apprehensionem, alter qui est iudicativus; cur enim potius deberent assignari duo intellectus respicientes speciem intelligibilem & cognitionem, quam duo intellectus respicientes simplicem apprehensionem & iudicium?

CONCLUSIO III.

38. *Non solum intellectus possibilis, sed etiam intellectus agens, ut agens reperitur in anima separata, & Angelis.* Hæc quoad primam partem de intellectu possibili est certa apud omnes, quia alias non intelligerent Angeli, aut animæ separata.

Secunda pars de intellectu agente est Doctoris in 4. dist. 45. quoad animam separatam; & in 2. dist. 3. quest. 11. quoad Angelos: quem præter suos sequuntur probabiliter Conuincens. tract. de Anima separata, & Suar. lib. 6. cap. 6. contra D. Thom. 1. part. quest. 89. & quest. 55. art. 2. cum suis.

Probatur, quia alias nec Angeli, nec animæ separata possent intelligere res absentes, præteritas aut futuras, nihil enim posset eos ad hoc determinare, nisi ponantur in illis species: sed si ponantur in illis species, debet poni aliqua causa productiua illarum ex parte Angeli & animæ: illa vero causa est intellectus agens: ergo habent intellectum agentem.

Dices, ipsamet obiecta, quæ determinare possunt illos ad producendas illas species, posse producere eas tanquam causas totales: ergo falsum est subsumptum.

Contra, quamuis id posset dici quando obiecta essent spiritualia, tamen nequit dici quando obiecta sunt materialia: materiale enim nequit esse causa totalis formæ spiritualis.

Dices secundo, species rerum infundi Angelis, & animabus à Deo, non vero acquiri ab ipsis: virtute actiua propria, & consequenter falsum esse subsumptum.

Contra primo: quia non est recurrendum ad Deum, tanquam ad causam totalem alicuius effectus, nisi quando non potest assignari causa secunda, quæ possit ad ipsum concurrere.

Contra secundo: quia sicut recurritur ad Deum, tanquam ad causam totalem productiuam specierum intelligibilium Angelorum, & animarum separatarum: ita posset dici quod ille pariter causaret species intelligibiles animæ coniunctæ, & sic non esset ponendus intellectus agens in anima coniuncta.

39. *Probatur secundo conclusio, & infirmatur vltimius recursus ille ad Deum, quod cõfugiant aduersarij: est perfectio in anima, & Angelis, habere intellectum agentem: ergo si ponatur in anima coniuncta, debet poni in Angelis, & anima separata; absurdum enim videtur maiorem perfectionem in ratione intellectiui esse in anima coniuncta, quam separata, ac Angelis, præsertim quoad rationem aliquam independentem à corpore.* Probatur antecedens: est perfectio in cognoscitio habere virtutem non solum productiuam cognitionis, sed illius, sine quo cognitio haberi non possit, verbi gratia, speciei intelligibilis, ut videtur evidens: ergo est perfectio in eo habere intellectum agentem.

Confirmatur: imperfectio, ad quam supplendam intellectus agens ponitur in hominibus, reperitur in Angelis, & anima separata: ergo debet in illis poni ad eam tollendam non minus quam in hominibus.

Probatur antecedens: quia illa imperfectio est determinatio, quam habet ad intelligendum ex se absque speciebus intelligibilibus: sed æquæ Angelus, & anima sunt sic indeterminati, ac anima coniuncta, aut homo: ergo.

Confirmatur secundo: quia intellectus agens ex dictis est identificatus intellectui possibili, & animæ: ergo remanet necessario in anima separata. Quod si etiã diceretur cum Thomistis, intellectum agentem esse accidens realiter distinctum ab intellectu possibili, & animæ: adhuc haberetur intentum, quia illud accidens est proprietas animæ sequens ex natura ipsius, ac pullulans ab ipsa, non vero adueniens ipsi ab extrinseco: ergo deberet pullulare ab ipsa in statu separationis: neque enim coniuncto ad

corpus habet aliquem influxum in illam pullulationem.

40. *Obijcies: intellectus agens requireretur solum in anima separata, & Angelis ad producendas species rerum materialium: sed non possunt Angeli, aut animæ separata acquirere species rerum materialium: ergo frustra poneretur in illis intellectus agens sub denominatione intellectus agentis.*

Probatur minor: quia res materiales non possunt determinare intellectum, nisi mediantibus phantasmatibus, qualia non sunt in Angelo, aut anima separata, ut patet.

Confirmatur hoc, quia si anima posset acquirere species rerum materialium absque corpore, aut phantasmatibus, frustra vniretur corpori, sed hoc est absurdum: ergo.

Confirmatur secundo: quia si posset immediate acquirere species rerum materialium etiam in corpore existens, deberet illas acquirere quando applicantur: est enim causa naturalis determinata ad omnem effectum producendum, quem potest producere quando debet applicatur.

Respondetur, negando minorem cum sua probatione: sicut enim ipsamet phantasmata, quamuis materialia sint, possunt intellectum spirituale determinare ad suam speciem spirituale: ita etiam res corporales possent hoc facere absque phantasmatibus.

Ad primam confirmationem respondeo, negando sequelam: vniretur enim corpori ad habendas cognitiones sensitivas, & cognitiones intellectuales dependentes à cognitionibus sensitiuis, quæ cognitiones fortassis sunt distinctæ speciei à cognitionibus, quas haberet in statu separationis, ut postea dicetur amplius.

Ad confirmationem secundam respondeo, negando etiam sequelam: quia sicut non debet habere species infusas à Deo in statu coniunctionis, quas secundum aduersarios haberet in statu separationis; ita etiam non debet posse acquirere tales species in statu coniunctionis, quamuis posset eas acquirere in statu separationis.

Et si queratur, unde oriatur impedimentum: Respondeo ex ordinatione Dei nolentis eodem modo concurrere cum anima in statu separationis, & coniunctionis; quæ ordinatio fortassis habita est ad puniendum peccatum originale, ut postea dicam amplius.

Aduerte autem hic, me non negare, quin Deus Angelis, & animabus separatis plures species infundat; quia ad habendum subito in instanti creationis, tam varias rerum cognitiones in Angelo, quam tribuuntur ipsi, non posset sufficere actiuitas intellectus agentis ad producendas omnes species ad illas cognitiones necessarias; neque enim obiecta illa omnia secundum se realiter applicabantur ipsi. Sed quod contendo est, Angelos habere intellectum, quo possent acquirere species, si Deus non infunderet; & existimo etiam de facto Angelos, præsertim malos, dum versantur inter nos, acquirere sibi species multarum rerum, quas non infunderat illis Deus, quia non erat necessarium ex vlllo capite, ut eas iis infunderet.

41. *Quæres, an intellectus agens sit perfectior possibili:*

Respondetur communiter, si consideretur intellectus possibilis, ut est productiuus intellectiois, eum sine dubio esse perfectiorem, quia intellectio, quam potest producere est perfectior quam species intelligibilis, quæ sola ab intellectu agente, quæ talis est, potest produci. Si vero consideretur intellectus possibilis, ut receptiuus intellectiois, est imperfectior, quia agere est perfectius, quam pati. Verum quantum ad hanc secundam partem, res nõ adeo certa est, quæ prima facie videri possit: nam quamuis agere, ut sic, perfectius sit quam pati, aut recipere; tamen agere aliquid particulare non necessario est perfectius, quam recipere aliquid aliud particulare; existimo enim quod sit maioris perfectionis in anima posse recipere visionem beatificam, quamuis ad eam non concurreret efficienter, quam posse producere calorem, siue in se, siue in alio, si talis facultas competeret ipsi. Et similiter existimo dicendum in proposito, quod maioris perfectionis sit in intellectu posse recipere cognitiones obiectorum, etiam si non haberet facultatem eas efficiendi, quæ posse producere

Intellectus agens reperitur in anima separata & Angelis.

An intellectus agens sit perfectior possibili.

producere speciem intelligibilem; unde si essent duo intellectus realiter distincti, & separati, quorum unus esset productivus speciei intelligibilis, & non receptivus cognitionis, alter vero receptivus cognitionis, & non productivus ipsius; hic illo longè perfectior censendus esset; præsertim cum habet intelligere formaliter per hoc quod habeat in se receptam cognitionem, nec ad hoc requiratur per se, quod producatur productio ab ipso met cognoscente, ut postea dicam: nec ullus est qui non mallet se cognoscere formaliter, & posse formaliter cognoscere, quam producere speciem intelligibilem, aut eam posse producere. Itaque concludo, intellectum possibilem esse perfectiorem intellectu agente non solum, ut habet virtutem productivam cognitionis, sed etiam virtutem receptivam eius, præsertim talem, ut per receptionem eius possit formaliter intelligere.

QVÆSTIO V.

Utrum intellectus humanus, & Angelicus distinguantur specie.

42. **E**X suppositione, quod intellectus identificetur realiter animæ, & Angelis in nostra sententia, non potest esse dubium, quin realiter sint distincti specie, sicut Angelus, & anima, quibus identificantur. Unde quæstio solum potest esse de ipsis formaliter loquendo: bene enim potest fieri quod aliquæ formalitates, quæ realiter distinguuntur specie, formaliter tamen non sic distinguantur: sic enim animalitas in homine, & bruto realiter distinguuntur specie; & tamè formaliter sunt eiusdem rationis.

CONCLUSIO I.

Probabilis est quod intellectus Angelicus, & humanus distinguantur specie. Hæc est Doctoris in 2. dist. 1. quæst. ult. Quamvis oppositum etiam proponat ibidem, ut probabile. Est etiam D. Thom. 1. p. q. 79. art. 2. & longè magis communis apud alios auctores hic, & in materia de Angelis.

Probatur à Thomistis: quia intellectus Angelicus habet distinctum obiectum adæquatum ab intellectu humani obiecto adæquato: sed potentia habentes distincta obiecta adæquata distinguuntur specie: ergo.

Probatur maior: quia obiectum adæquatum motuum, præsertim intellectus humani, est quidditas rei materialis: tale vero non est obiectum adæquatum motuum intellectus Angelici, sed aliquid aliud magis late patens.

Verum hæc probatio supponit maiorem, quam supra impugnavi quæst. 1. & ex dictis in illa quæstione patet, circa nihil posse versari intellectum Angelicum, circa quod non posset versari humanus, quantum est ex natura sua: unde per ordinem ad obiecta nequeunt distinguui.

Probatur primo: quia intellectus Angelicus non est diffusivus, secus vero est de humano.

Hæc etiam probatio, supponit veritatem antecedentis quod falsum est secundum Scotistas: de quo in materia de Angelis.

43. *Melius probatur conclusio primo: quia intellectus humanus potest habere & habet de facto cognitiones aliquas distinctas rationis ab omnibus, quas potest habere intellectus Angelicus, nempe cognitiones rerum quatenus proponuntur in phantasia, ut quæstione sequenti magis apparebit.*

Probatur secundò: quia perfectior substantia in ratione intellectui debet habere perfectiorem potètiā correspondentem illi rationi, quàm imperfectior, alias non esset perfectior; sed substantia Angelica est perfectior in ratione substantiæ intellectui quàm anima vel homo, & potentia correspondens illi rationi est intellectus: ergo debet habere perfectiorem intellectum.

Probatur tercio, quia intellectus humanus ex se potest intelligere res omnes independentè à phantasmatis sicut Angelicus, vel non potest: Si non potest, certum est ipsum esse distinctæ speciei ab Angelico, qui potest. Si potest, ergo quandoquidem præterea potest intelligere res ut phantasticè propositas, nisi esset aliqua differentia vel in cognitione Angelica, vel in modo ipsam acquirèdi,

sequeretur intellectum humanum est perfectiorè quàm est Angelicus, quandoquidem & posset intelligere quæcumque posset Angelicus secundum eandem rationem quoad substantiam, & modum cognitionis, & præterea alias cognitiones distinctas habere, quas non posset Angelus, sed hoc est absurdum: ergo debet esse differentia inter utramque cognitionem, vel quoad substantiam, vel quoad modum ipsam producendi, vel acquirendi: sed si sit talis differentia, eo ipso sequitur quod sint distinctæ speciei.

Confirmatur, quia potentia sensitivæ externæ hominis, & bruti distinguuntur specie: ergo & potentia intellectus hominis & Angeli, à paritate rationis.

Confirmatur secundo, quia si non distinguerentur specie intellectus Angelicus ab humano, sequeretur hominem esse longè perfectiorem Angelo, quia haberet perfectiones intellectuales tam perfectas, & præterea haberet alias perfectiones plures, quales non haberet Angelus, nempe corporeas, sed hoc est absurdum.

44. *Obijciat: si essent distinctæ speciei, deberent esse inæqualis perfectionis, & Angelicus deberet esse perfectior, sed hoc est incòveniens: quia inde sequeretur quod cognitio Angelica esset diversæ speciei, & maioris perfectionis quàm humana potest esse, & còsequenter quod visio beatifica Christi & Divæ Virginis esset speciei imperfectioris, quàm visio beatifica Angeli.*

Respondetur concedendo maiorem, non ex eo, quod inæqualitas in perfectione inter aliqua sequatur necessario ex distinctione specifica ipsorum, sed propter secundam & tertiam probationem conclusionis. Nego vero minorem cum sequela probationis: nam quamvis intellectus ipsorum sint distinctæ speciei, non necessario cognitiones sunt distinctæ speciei, quia possunt habere distinctionem specificam ex alio capite quàm per ordinem ad diversitatem specificam cognitionum, per hoc scilicet, quod unus intellectus posset plura simul cognoscere, quantum est ex natura sua: aut per hoc, quod citius aut expeditius, aut clarius posset cognoscere, quàm alter intellectus.

Deinde, quamvis cognitiones ab illis provenientes deberent esse distinctæ speciei & inæqualis perfectionis sicut ipsimet intellectus, & còsequenter cognitio Angelica deberet esse perfectior quàm humana, etiam Christi, quantum est ex natura potentiarum, tamè de facto Deus posset supplere per lumen gloriæ, aut alia auxilia imperfectionem intellectus Christi præ intellectu Angelico, & si id faceret, Christus posset habere cognitionem etiam specie perfectiorem quàm esset cognitio Angelica.

QVÆSTIO VI.

Unde oriatur dependentia intellectus à phantasmatis.

45. **I**ntellectum nostrum pro hoc statu dependere à phantasmatis patet & auctoritate Philosophi 3. de anima, text. 12. & communi consensu Doctorum, & etiam experientia, quæ constat quod impedito organo phantasia non intelligamus rectè, ut patet in phreneticis, dormientibus, & infirmis. Sed valde prorsus difficile est assignare rationem huius dependentiæ; quæ difficultas ut magis appareat, & melius solui possit, varij dicendi modi proponendi sunt.

Aliqui dicunt rationem esse quod non possit intelligere absque speciebus, & quod non possit species habere nisi à phantasmatis.

Contra, quia hinc solum sequeretur quod dependeret à phantasmatis, quantum ad acquisitionem specierum, non vero quod dependeret ab iis quantum ad usum earum: nam quemadmodum ipsa potentia sensitiva interna dependet à sensibus externis, quoad acquisitionem specierum, iis tamen habitis potest habere cognitionem sensitivam per eas, cessantibus potentiis externis: eodem modo potentia intellectiva posset habere dependentiam à phantasia in ordine ad acquirendas species, quamvis iis habitis possit per illas intelligere sine ulteriori dependentia à phantasia, aut eius operatione.

Præterea

Intellectus humanus, & Angelicus distinguuntur specie